

indutus, dignatus est peregrinari pro subditis, ut eos supernæ patriæ cives & æternæ beatitudinis faceret coheredes, Dei evangelium quasi semen cadens in terram bonam per partes illas sit longe lateque diffusum, ne huic novellæ plantationi diligentis agricolæ cura desit, nostro fuit apostolatui supplicatum ut & locis per episcopalnis dignitatis insignia & populis per circumspecti Prælati sollicitudinem faceremus sine moræ dispendio provideri. Ne igitur gregi dominico desit cura pastoris, cum adhuc lupus rapax circumeat quærens quem devoret, paratus eo fortius ad rapinam quo recentius perdidit quod diu tenuerat occupatum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita & cognita veritate, si qualitas locorum poposcerit, ac facultates sufficient, & expedire videritis, episcopatum auctoritate nostra constituatis ibidem, & vocatis qui fuerint evocandi, per electionem canoniam faciatis loco & populo provideri de persona idonea in pastorem, & jura quæ debent ad Episcopum & Ecclesiam pertinere assignari eis integre ac quiete. Quod si non omnes &c. tu frater Archiepiscope &c. Tu denique, frater Archiepiscope, super te ipso &c. Datum Signiæ V. Idus Octobris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

152.

1213 d. 11 Oct.

Segni.

Påfv. INNOCENTIUS III till Abboten på Gothland och 2:ne Prostar inom Lunds Stift att skaffa Korsherrane i Lifland upprättelse för dem tillfogade oförrätter.

K. m. 2: 807. An. 16. Ep. 122.

*Abbati de Gothlanda, & de Northlanda & de Sutherlanda Præpositis Lundensis diocesis.*

Qvoniam nimis dispendiosum est & grave dilectis filiis fratribus militiae Christi de Livonia, cum sint in remotis partibus constituti, pro singulis quarelis apostolicam sedem adire, cum frequenter a multis tam clericis quam laicis gravibus sint injuriis lacesitti, ad supplicationem eorum super hoc eis duximus providendum. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus cum a dictis fratribus fueritis requisiti, malefactores eorum in Bremensi provincia constitutos, ut eis ablata restituant, & de damnis & injuriis irrogatis satisfaciant competenter, vel in aliquos compromittant qui appellatione remota justitia mediante procedant, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis diffugio compellatis. Quia vero venerabilis frater noster Rigensis Episcopus eos, sicut accepimus, in multis opprimere consuevit, volumus ut cum vobis constiterit memoratum Episcopum malitiose vexare fratres eosdem, eum ipsis in expensis legitimis condemnatis. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Tu denique, fili Abbas, super te ipso &c. Datum Signiæ V. Idus Octob. pontificatus nostri anno XVI.